


1686

Viro perilligtri

CONSTANTINO CONSTANTINI FILIO HUGENIO

S. P. D.

Ioannes Georgius Graevius.



Perpetuae meae singularisque in te observantiae pignus mitto tres
 Meursii libelles possumos, mea cura in lucem ex latebris bibliothecae
 Regis succiae protractos, & Tibi inscriptos. Non potui enim Tibi debere
 diutius, cum tam bella se offerret occasio, hoc gratae voluntatis monumen-
 tum, pro prolixo tuo in me studio, tot luculentis significationibus misi
 a longo tempore maxime testato. Celebritas Meursiani nominis &
 operum, omnibus eruditis probatorum, id longe reddit illius &
 perennius, quam si spicam ex jejuno fundo meo decerptam Tibi obtulissim.
 Quod si tanta comitate has diatribas exceperis, qua me solitus es tradire,
 non operam in illis edendis me lusisse putabo. Sed magis laetabor, si
 aditum ad tuam benevolentiam quasi patescerint nobilissimis viris,
 magni Salmassii filii, quos dira illa tempestas Gallica tanquam
 naufragos, & omnibus bonis ac possessionibus nudatos, in nostras oras
 eiecit, ut plures alios. Major natu, Dominus S. Lupi, in praetorio
 gentilitio in Burgundia sibi & Musis cum uxore nobilissima vivebat.

minor natu militiae nomen dederat, centurionis personam gesturus,
si fata sivissent. Sed nunc extorres communium sacrorum causa,
dignissimi sunt non solum propter memoriam patris, viri summi, qui
Leidensem Academiam splendore nominis sui mirifice illustravit,
sed & propter virtutes, quibus ipsi ornantur, qui respiciantur piae
misericordiae humanitate, & his, quibus conflictantur, incommodis
tercentur. Serenissimus Princeps Araisionensis ante plures menses Domino
Sancti Lupi spem facit anni stipendi modici in tutelam familie
obtinendi apud Curatores Leidensis Academiae; sed nondum
invenit faciles in sua vota Deos.

Multum praesidii sibi positum esse statuit in Tua bonitate, & propensa
in omnes bonos, & optimis artibus deditos voluntate. Quod si, cum
fuerint mollia fandi tempora, dignatus fueris serenissimum Principem
compellare, & illorum causam orare, ut ille curatoribus Leidensibus
commendetur, junior vero in centurionum Gallicorum reformatorum,
ut loquuntur, numerum referatur, nam centurionatus diploma in
Gallia iam paratum erat, quod tamen postea temporum & hominum
injuria intercepit, maximo beneficio Tibi incomparabilis viri filior
afflictissimos devincies ad omne genus obsequii, ego vero quicquid

in illos conferes in me collatum esse, pro meo erga Salmasianum nomen
audio, existimabo. Alterum exemplum Meursianorum opusculorum
maximo parenti tuo, tertium Chrijiano, fratri tuo, Mathematicorum
principi, meo nomine ut reddas, salutemque & officia mea eis ut
deferas rogo. Vale vir nobilissime & me amare perge. Trajandi
D. XXVII Novemb. CIV 120 LXXXVI.

ino

Ch

m

12

r

J.

